



**P**hilippus filius fuit Georgij Pomeraniæ ducis. Is à pueris in omni genere uirtutum educatus, tandem in principem clarissimum euasit, atq; suis uirtutibus reliquis exemplo fuit, erat enim religionis & iustitiæ cupidissimus. Is cum pater anno millesimo quingentesimo trigesimo primo mortuus esset, in earum regionum administratione successit, atq; Mariam, Ioannis Friderici electoris Saxoniae sororem uxorem duxit. Postea quoq; anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo cum Barnimo cognato principe ita transegit, ut ipse Vuolgastum, Pomeraniam superiorẽ, & Rugen retineret, Barnimo uerò Stettin & inferiorem

Pomeraniam relinqueret. In comitijs quoque Philippus sapius comparuit, atque subinde sua consilia ad pacem flexit. Vnde & Cæsari & reliquis proceribus gratissimus extitit, atq; patriæ pater à suis cognominatus fuit. Habuit Philippus clarissimam prolem, Georgium, Ioannem Fridericum, Bugislaum, Ernestum Ludouicum filios, & Ameliam filiam. Hos in omnibus uirtutibus instituendos præceptoribus commendauit, atq; ut patri optimo similimi essent, curauit. Hinc factum ut Philippus ob multas animi & corporis præclaras dotes optimis Germaniæ principibus meritò adnumeretur. Monst. in Cosmog. Germaniæ.